

OPERA OMNIA

SANCTI THOMAE AQUINATIS

-----oOo-----

Textum electronicum praeparavit et indexavit
Ricardo M. Rom n, S. R. E. Presbyterus
Bonis Auris, MCMXCVIII

|*DE_ORDO_AGENDI
UTRUM in CREATURIS SIT ORDO AGENDI

AG1

Ad III sic proceditur; videtur quod in creaturis non sit ordo agendum.

Quod enim agit sine medio est perfeccius agens quam quod agit per medium. Set Deus est agens potentissimum. Ergo non agit per medium, et ita una creatura non agit in aliam.

AG2

Praeterea de ratione agentis est ut faciat sibi simile, set id ad cuius similitudinem fit aliquid est exemplar. Si igitur una creatura sit causa agens respectu alterius, sequeretur quod digniora in entibus sunt exemplaria inferiorum, quod reprobatur Dionysius quinto capitulo de divinis nominibus.

AG3

Praeterea agens et finis incident in idem specie, ut dicitur in secundo phisicorum. Si igitur una creatura est causa activa alterius, una erit causa finalis alterius quod videtur esse contra id quod Proverb. XVI: universa propter semetipsum operatur Dominus.

SC

Set contra est quod dicit apostolus, Rom. XIII: que a Deo sunt ordinata sunt. Et Dionysius dicit quod lex divinitatis est per superiora inferiora reducere in se. Una ergo creatura agit in aliam.

CO

Respondeo dicendum quod quidam loquentes in lege maurorum posuerunt quod nulla creatura habet aliquam actionem, dicentes quod ignis non calefacit, set Deus in igne. Set secundum hoc frustra essent attribute rebus virtutes active, et qualitates, et forme. Et ideo dicendum quod ipsa inequalitas constituta per divinam sapientiam in rebus creatis, ut dictum est, exigit quod una creatura agat in aliam.

Secundum enim attenditur in creaturis inequalitas quod una est perfeccior altera; perfeccius autem comparatur ad minus perfectum, sicut actus ad potentiam. Est autem de ratione existentis in actu quod agat in id quod est in potentia. Et sic necesse est quod una creatura agat in aliam. Set sicut creatura esse in actu participat a Deo qui est purus actus, ita et virtutem agendi participat a Deo et agit ejus virtut sicut causa secunda virtute cause prime.

RA1

Ad primum ergo dicendum quod omnia quecumque fiunt per actionem creature, Deus posset facere sine creatura. Non ergo est ex defectu potentie ejus quod mediante creatura agit, set ex abundancia bonitatis ipsius, ex qua provenit quod non solum comunicat creature quod sit in se bona, set hanc dignitatem ut sit aliis causa bonitatis.

RA2

Ad secundum dicendum quod oppinio illorum reprobatur a Dionysio, qui ponebant quedam intellectualia separata esse prima exemplaria.

Nam primum exemplar omnium Deus est. Nil tamen prohibet secundario unam creaturam esse exemplar alterius.

RA3

Ad tertium dicendum quod finis ultimus omnium Deus est; sunt tamen et fines alii sub isto fine, secundum quod una creatura ad aliam ordinatur ut ad finem, imperfecciora scilicet ad perfecciora, ut materia ad formam, elementa ad mixta, plante ad animalia, animalia ad homines ut habetur Genesi, I. Et sic patet quod ordo universi attenditur secundum quod una creatura agit in aliam, et secundum quod una fit ad similitudinem alterius, et secundum quod una est finis alterius.